

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Horologivm Sacerdotale Sacerdotibus tam Ecclesiasticis,  
quàm Religiosis, præsertim Neomystis Ordinem diei, &  
praxes indicans Opera quotidiana exactè, sanctéque  
obeundi**

**Dirckinck, Johann**

**Coloniæ, 1690**

Sub Sacrificio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50863](#)

nos divinæ reddit naturæ consortes. 2.  
 Gloriam cœlestem , quâ similes ei reddi-  
 mur. 3. Personam Filii Dei naturæ hu-  
 manæ communicatam , quâ fratres ejus  
 efficimur. 4. Divinitatem & Humaniti-  
 tatem Christi communicatam in sanctissi-  
 mo altaris Sacramento, quâ intimè ei con-  
 jungimur. O quas gratias referam Bono  
 infinito, tot, tamque mirabilibus modis se  
 nobis communicanti ? quam æquum est,  
 ut ex toto corde, ex tota animâ , atque ex  
 omnibus viribus te diligam : ut totum id,  
 quod à tua Bonitate accepi, in eadem sine  
 fine diligenda occupetur? O Anima mea!  
 Ecce, ego ostendam tibi omne bonum, in  
 sacra scilicet Hostia absconditum : ibi est  
 omne bonum naturale , morale & com-  
 municativum : quanta tua est felicitas ! si  
 illud dignè suscipias ! quomodo non eva-  
 des ex mala tota bona, justa, perfecta, san-  
 cta? accede, anhela, festina, totum pande-  
 sinum cordis, & accipies. Amen.

### SUB SACRIFICIO.

Considerationes varias, præparatoriū  
 considerationibus & affectibus variis ac-  
 commoda, totoque Sacrificii tempore  
 L.Com.



- I. Compare jam veluti formica quædam aut vermiculus coram Numinis Supremi immensitate. Et toto Sacrificii tempore, te usque in abyssum deprime.
- II. Jam velut spongia parvula in vastissimo Immensitatis & Ubiquitatis mari immersa, interius Deo plena, exterius eodem quasi circumfusa; memoriam præsentie Divinæ, ad omnem attentionem & devotionem te excita.
- III. Jam veluti folium à vento minime agitabile, seu homo omni momento vacabilis & penitus instabilis coram Deo immutabili compare, & constantiam in bono exposce.
- IV. Jam velut Hemerocallis, flos unius diei, coram interminabili æternitate te sita, gratiamq; roga tam sanctè in hac brevi peregrinatione vivendi, ut optares in æternitate.
- V. Jam velut infans unius diei, debilis, infirmus, pedibusque vix valens insistere, coram omnipotentia assiste, & divini auxilii robur ad omne bonum flagita.
- VI. Jam tanquam rudis & ignarus ad Sapientiam infinitam accede, ac lumen

lumen & sapientiam cœlestem postula;

VII. Alias denique velut mendicus quispiam, aut ipsa potius indigentia, imperfæctio, inæquitatis, aut malitia, coram in-exhausta Dei Bonitate, Opulentia, Perfectione, Justitia ac Beneficentia versare, rogans ut omnibus bonis cœlestibus affamatum diteris.

### POST SACRIFICIUM,

*Gratiarum actio & affectus,*

I. *Ad Infinitatem Dei.*

DIE DOMINICO.

I. **G**ratias ago immortales, Deus magnæ & infinite, quod Majestas tua immensa meterræ vermiculum, ex ineffabili charitate, visitare dignata sit: utinam dignationem tantam dignis affectibus, Charitatem tantam summè perfectis, gratisque obsequiis compensare valerem! cum verò id vires meas superet, defectum meum Bonitas tua suppleat.

Credo in te, Domine, quia tu es supremâ Veritas:

Spero in te, Domine, quia tu es supremâ Fidelitas:

Diligo te, Domine, quia tu es suprema Bonitas:

Adoro